# [Ep]istola 249. IOHANNI COCCEJO IOHANNES BUXTORFIUS.

S. P. Vir Reverende et Clarissime, Amice honorandissime; Annus est, quod ad Te scripsi, et simul exemplar transmisi ~~exemplar~~ Exercitationum quarundam Sacrarum, tunc in lucem à me editarum, ut et D. Heidano, et D. Hoornbeck; an literae illae una cum libris vobis sint redditae, hactenus non intellexi. Spero tamen id factum. Hac vice prodit liber Cosri, cum Versione Latina, et quibusdam notis ad loca difficiliora, ad majorem harum literarum inter Christianos illustrationem et propagationem. Ejus exemplar his literis adjunctum, ut amoris et honoris tibi debiti testimonium à me accipias, et suo tempore tuum de his meis laboribus ad me perscribas oro. Plura volebam ad celebris Auctoris illustrationem addere; sed valetudinis crebrioribus insultibus saepius impeditus, Deo gratias ago, quod vel sic perficere potuerim. Sentio cum senectute ingravescente (62 cum bono Deo ingressus sum annum) vires corporis, et animi alacritatem utrumque pristinam sensim languescere et imminui. Operam tamen dabo, quamdiu Deus vitam adhuc prorogaturus est, ne etiam hanc aetatis ultimae partem otiosus transigam. Tu quid agas, et quando tandem diu jam expectatus Commentarius in Psalterium sit nobis sperandus, cum aliis tui ingenii monumentis, scire aveo. Plura hoc tempore non licet. Itaque Vale, et me, ut hactenus, amare perge. Dat. Basileae Kal. Sept. Ann. 1660.

Celeberrimo tuo Nomini
omni honoris cultu addictiss.

Johannes Buxtorfius.

Viro Reverendo et Clariſſ.o
D. Johanni Coccejo, S. Theol. Doctori, et
in Academia Leidensi Profeſſori celeber-
rimo, Amico honoratiſſimo.

Leidas.

[illegible]
[illegible]